C

NOMINA.

Botrys unde dicta.

BOTRYS Græcis, Botrys Latinis appellatur. Officinis & uulgaribus herbarijs incognita. Germanis haud ineptè Traubenkraut nominabitur. Botrys uerò dicta est à semine, quod racematim ramulis adnascitur.

FORMA.

Herba tota est lutea, fruticosa, sparsa, multaq; alarum caua habens. Semen totis ramulis adnascitur. Folia Cichorio similia obtinet, totaq; ualde odorata est, ideoq; uestibus apponitur. Ex qua quidem descriptione omnibus manifestum fit, herbam cuius picturam exhibemus esse legitimã Botryn: uniuersa enim herba ad luteum colorem uergit, fruticosa est, & multis stolonibus fusa, foliis Cichorij, odoratis, semine circa ramulos totos in racemos collecto nascente. Quid multa? nulla est prorsus nota, quæ illi non appositissimè quadret.

LOCVS.

Nascitur circa profluentes aquas & torrentes. In Germania tamen, quod equidem sciam, non nisi sata prouenit.

TEMPVS.

Augusto & Septembri ad maturitatem maximè peruenit: quibus etiam mensibus, ut Ruellius annotauit, uenalis herba per Parisiensium urbem defertur. Odoris enim gratia Galli uestimentis, pannis, & linteis curiosè interponunt. Apud Germanos tamen eius herbæ nulla est gratia, quod illis hactenus ignota fuerit.

TEMPERAMENTVM.

Calidam & siccam esse Botryn amaritudo eius quæ gustui occurrit, facilè monD strat. Item uis eius incidendi, quæ illi propter calorem, tenuitatemq; inest.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

In uino pota orthopnœas lenit.

EX PAVLO.

Planta est admodum odorata, quæ cum uino pota non nisi recta ceruice spirantibus auxiliatur.

EX PLINIO.

Medetur orthopnoicis.

DE BARBA



BOTRYS